Lipski Andreas

Episcopus Vladislav. et Pomer.

Zyznowski

Sisinii Matthiae: Panegyricus Andreae Lipski, Ep. Vlad et Pomer. pro ipsius primo ad ecclesiam Wladislaviensem adventu scriptus.

t.

PANEGYRICVS.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. ANDREAE LIPSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPO WŁADISLAVIENSI ET POMERANIÆ,

REGNI POLONIÆ

CANCELLARIO.

Pro ipsius primo ad Ecclesiam Wladislauiensem aduentu,

SCRIPTVS

à

Reuerendo Domino MATTHIA SISINIO, Canonico & Theologo Wladislauien. Protonotario Apostolico.

Friderici [illegible]

VARSAVIÆ,
In Officina Ioannis Rossowski, S. R. M. Typographi,
Anno Domini, 1624.

Illmo et Admodum Rndo Domino [illegible]
[illegible] Cracov[illegible] [illegible] [illegible] oblatus [illegible]

PERILLVSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO LVBIENSKI,

VOCATIONE DIVINA

ABBATI TINECENSI,

NOMINATO EPISCOPO LVCEORIENSI,

Domino & Pátrono Colendiſſimo.

MATTHIAS SISINIVS CANONICVS ET THEOLOGVS Vladislauienſis perpetuam felicitatem.


A*Vdacter feciſſe videri poſſum, cum id mihi ſumpſi vt Illuſtriſſimum Dominum* ANDREAM LIPSKI *Regni Cancellarium Epiſcopatus iſtius gubernacula capeſſentem, gratulatione mea heroicis tanti viri virtutibus longe impari exciperem. Nam ſi Alexander Macedo felicem iudicauit Achillem, quod laudum ſuarum præconem Homerum nactus eſſet: & ſi is ipſe magnus* Rex *edicto cauit, ne quiſquam ſe alius præter Apellem pingeret, præter Lyſippum fingeret qui duo artifices æuo illo præſtantiſſimi*

in suo genere fuerunt: merito sane vereor, ne & ego videar nimis audax,
qui talis viri præconium susceperim, ad quem pro dignitate laudandum,
altero ipsius simili opus esse arbitror: & ille minus felix videatur me non
valde laudatum nactus laudatorem, Progressa tamen est vlterius auda-
cia mea cum Panegyristen agens quasi instituti mei oblitus nonnullis in lo-
cis pro Panegyri parânesim dedi. Qua in re videri possum, non modo supra
vires audax, sed etiam bene & gnauiter impudens, qui quid me deceret mi-
nus aduertens, iunior Seniorem, Presbyter Pontificem, priuatus Reipub.
Senatorem, ad officium cohortari non dubitauerim. Denique accessit non
pauxillum ad cumulum audaciæ meæ, quando vt hoc quidquid est scriptio-
nis tibi, cui nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, placere solet,
offerrem, animum induxi meum. Sed est tamen Vir Amplissime, cur mihi
facilem harum rerum veniam dandam esse putes. Etenim vt ista scriberem,
meus me, erga præstantes illius, cui scripsi virtutes, incensus amor, quid va-
leant humeri, quid ferre recusent, minus, vt suum est ingenium, attendens,
impulit. Firmauit vacillantem animum considerata prudentissimi viri in
huiusmodi litterariis xeniolis, non facultate magis quam voluntate æsti-
mandis æquitas. Quod autem laudi & prædicationi cohortationem inter-
miscui, nec id prorsus indecore feci: quando bene & feliciter in veræ laudis
orbita currenti, vt agere porro pergat, quod agit, succlamaui. Demum vt hac
cuiusmodicunq; opella te munerarer, quamuis mea me ab hoc consilio retra-
hebat verecundia, vicit tamen inclinatissima in te voluntas: cui vel cum
pudefacti vultus rubore obsequendum esse putaui. Enimuero eximia tua
humanitas cum insigni modestia copulata, omnibus qui quid vnquam te-
cum siue priuatis siue publicis in rebus egerunt, luculenter perspecta, latam
mihi ac lætam ad te viam reclusit, spemque excitauit, fore, vt tuis suauis-
simis moribus indulgens, hoc e paupere meo penu depromptum munusculum
non prorsus aspernere. Creuit porro non mediocriter animus, alterna deli-
beratione aliquandiu diuisus, vbi in eam incidit cogitationem, te in eius
viri, cuius hic honori studeo, Pontificiam Sedem Diuino plane consilio suc-
cedere. Quippe, qui tot in eum diuinitus collata charismata, in te quoque
pari Diuina largitate effusa, toto anteactæ vitæ tuæ curriculo præclare
ostendis,

ostendis. Vt in hoc Praecessoris tui encomio, ipse te inspicere, & quae de Coelo accepisti dona recognoscere possis. Ac licet modestia tua facit, vt ea in te, vel non cognoscas, vel multo quam reuera sunt minora pauciora que repures: nihilo tamen minus in omnium hominum oculos suo clarissimo fulgore incurrunt. Quae longa & intima familiaritate laudatissimorum Antistitum, Ioannis Tarnouii, ac Matthiae Pstreconii, ostensorum tantum huic Ecclesiae, & mox amplo eius damno sublatorum propinquorum tuorum magna ex parte aucta & corroborata, cum diu multumque Rex Serenissimus multiplici magnarum rerum vsu probasset, pro maxima qua in distribuendis meritorum praemiis pollet sapientia, primum tibi facile principis in hoc Regno Abbatiae Tinecensis infulam, quam virtute non fauitoribus ambiisti, deferendam imponendamque esse censuit: deinde vt tam eminenti virtuti, maiorem & ampliorem, in quo excurreret campum daret Episcopum te Luceoriensem renunciauit. Quem Episcopatum quonam modo es gesturus, quaeque ad eum ornamenta allaturus, ex iis quas adhuc gessisti rebus facile est cuiuis non fallaci coniectura assequi. Ego vero, quando nunc nec a me quidquam amplius praestari, nec a te expectari potest, pro meo in te flagranti studio, quod nulla res forinsecus accedens peperit, sed virtus, quae est ipsa per se amabilis, cuiusque insignia in te elucent specimina concilliauit: Summis precibus a Diuina bonitate oro: vt vlteriorem virtutis & gloriae tuae cursum benefortunet, teque in eam, ad quam toto conatu anhelas sempiternae felicitatis metam dirigat. Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto, & de Syon tueatur te, memor sit omnis Sacrificii tui. At tu hanc qualemcunque scriptionem, vel tanti viri causa, cuius ipsa gloriae inseruire nititur, ea quae tibi propria & perpetua est humanitate excipe & inspice. Sin minus id meretur, & ex veteri formula res meas mihi habere iubeor: tamen ego mihi gaudebo, quod animo meo obsecutus, hac accepta occasione ad beneuolentiam & gratiam tuam, cuius a te ineundae incredibili iam pridem desiderio teneor, primum hunc aditum patefacere mihi studuerim. Vale Vir amplissime idque tibi persuade, te a me obseruari atque coli, vt paucos admodum habeas tui quam ego sum studiosiores. Dat. Vladislauiae Calendis Februarii. A. D. 1624.

IN ARMA

A. L.



E. W.

E. P.

R. P. C.

TErgemini colles loca celso proxima Cœlo,
Quis fortunatus pes iuga vestra premit?
Filia sudoris stat Gloria vertice summo,
Doctrina extremos integritasque tenet.
Qua gemina fretus comite altos Præsul honorum
Ascendit, Summos dignus adire gradus
Tabescunt triplici frustra sub colle frementes,
Strati in terram hostes torpor & inuidia.

PANEGYRICVS.

DIuturni deſiderii, quo dilatum huc vſq; ad Eccleſiam iſtam aduentum tuum, vehementer expectabamus, Præſul Illuſtriſſime, finem tandem felix fauſtusque dies hodiernus attulit: idemque initium eius lætitiæ, quam de te in hac Illuſtri Pontificali Sede collocato ingentem ac prope incredibilem percipimus. Si enim ſtatim, ac prædeceſſor tuus inſignis pietate, Vir deq; hac Eccleſia non mediocriter meritus, rebus humanis exemptus eſt; tu potiſſimum animis oculiſque noſtris obuerſabaris, tuæ ſucceſſionis cupidâ ſpe orbitatis noſtræ, mœrorem ſolabamur, in te vnum ſumma omnium noſtrum ſtudia inclinabant, tibi ante alios à Diuinâ bonitate eminentem hunc locum certatim expetebamus: ſanè cum id quòd tantopere in optatis erat, hodie demum perfectum cernimus, fieri non poteſt, qui tantam inde voluptatem hauriamus, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Nam quid ad ſempiternam nominis tui laudem magnum & excellens? quid ad Eccleſiæ iſtius præſidia & ornamenta magnificum ac ſplendidum? quid ad Diuini honoris propagationem & animarum cuſtodiæ tuæ creditarum ſalutem inſigne & eximium, de te nobis non polliceamur? Qui ſic ſemper antè vixiſti, vt non ſolùm tibi tuisque, quod parui anguſtique animi eſt, ſed multò magis Eccleſiæ & Reipub. ac veræ ex fideli vtrique nauata opera efflo-reſcenti gloriæ viueres. Sic res vniuerſas adhuc egiſti, vt magis magiſque quotidie laudatiſſimis actionibus tuis ad excelſa in hac Repub. honorum culmina aditum tibi patefaceres. Ac

mihi

mihi quidem nunc ad ſuperioris vitæ tuæ rationes, ab ineunte ætate ſuſceptas, cogitationem referenti, latè patens aperitur campus, in quo laxatis habenis ſic mea excurrat oratio, vt ſi minùs par & æqualis, at ſaltem is, qui à mediocri ingenio, & ſummo in te ſtudio meo, proficiſci poteſt, eminenti virtuti tuæ honos à me exſoluatur. Sed enim vereor, ne ſi omnia glorioſè à te geſta perſequi coner, & magnitudinem animi tui offendam, qua etſi res laude dignas libenter agis, eas tamen in præſentia tua laudari ægrè ſinis: & auribus tuis, id quod veritati & æquitati debeo, turpi ac ore Sacerdotis prorſus indigno aſſentationis morbo adductus dare voluiſſe videar. Quare dabis, vt opinor, pro tua moderatione, facilè mihi hãc veniam, vt de ſplendore generis tui antiqua nobilitate præclari, hoc loco nihil dicam: nihil de tot præſtantibus toga & ſago gentis tuæ viris: nihil de illorum rebus decorè geſtis, quarum gloriam quamlibet magnâ & opulentâ hæreditate potiorem de manu in manum longa ſerie tibi tradiderunt. Quippe ego hæc, quæ ita tua ſunt, vt & alijs tecum ſint communia, in tuis laudibus ponenda mihi eſſe non exiſtimo. Alios iſta admiratores habeant: ego in te nihil niſi te ipſum admiror. Itaq; vt magnus ille populorum domitor Alexander Macedo, ex familiaribus ſuis alium dicebat eſſe amicum Alexandri Regis, alium ipſius Alexandri: ſic tu alios exiſtere, qui & alia in te ſuſpiciant, me planè, & ex animo, tui ipſius cultorem, veneratoremq; eſſe, velim tibi perſuadeas. Ac teipſum cùm dico, non te ab iſtis imæ notæ bonis, quæ extra animum tuum poſita ſunt cenſeo, ſed ab ipſo duntaxat vero & ſolido tuo bono, id eſt à virtute quæ ſeipſâ contenta, nullâ aduentitiâ re ad explementum felicitatis ſuæ indiget, nullam extra ſe appetit. Quanquam ad eam nihil minus cogitantem, plerumque etiam inuitam ac reluctantem, vbi gentium ſpecies eius in amoribus eſt ſumma omnia vltrò aſſolent confluere. Licet enim cum labore & ſudore

quæritur

quæritur, nec niſi tanto à Superis pretio venditur: tandem tamen poſt deuictam triumphatamque inuidiam, facilè & nullo negotio, quæ inter mortales maxima paſſim habentur, in eius ſinum deferuntur. Vt ſicut de quodam Græcorum Imperatore iactatum eſt, ipſi ſcilicet dormienti, fortunam reti vrbes capere ſolitam, ita de ea longe iuſtius dici queat, ei nimirum quiduis potius agenti atq; cogitanti, ad extremùm ipſam fortunam victas manus dare, ac omnia ſua eius arbitrio permittere. Hanc tu optimam Ducem & Magiſtram, iam inde à prima ætatula tibi delegiſti, quam inoffenſo pede, quò ea te cunque per arduum laudandorum operum callem duceret, magno conſtantique animo in omni vita ſequereris. Itaque eius ſuaſu atque ductu adoleſcentulus, ac penè puer verè viriles cogitationes, generoſo pectore voluere maturè cæpiſti: abiectiſq; & repudiatis blandis peſtibus, quibus lubrica illa & præceps ætas decipi corrumpique ſolet, in glorioſo omnis doctrinæ liberalis curriculo ſtetiſti, nec prius in eo progredi deſijſti, quàm illo peruenires quò te perueniſſe minimè pæniteret. Ad eas verò potiſſimum ſcientias perdiſcendas animum & ſtudium adiecisti, quæ non modò ingenium exacuerent ac expolirent tuum, ſed & vitam ac mores ijs præceptis inſtitutiſque imbuerent, quæ tibi poſtmodum, ad boni viri, & ad boni in Repub. ciuis munera ac officia præclarè obeunda, magnum adferrent adiumentum. Atque idcircò non contentus domeſtica natalis ſoli diſciplinâ, celeberrima aliquot Europæ Gymnaſia impiger & alacer adijſti: vbi cùm magnis in omni optimarum artium genere Viris in diſciplinam te tradidiſſes, haud multo decurſo temporis ſpatio ingenij bonitatem diligenti cura & exercitatione adiuuante, vberi & ampla cùm cæterarum rerum maximarum vitæ communi apprimè vtilium, tùm verò potiſſimum Sacrorum Canonum Iuriſque Ciuilis cognitione pectus tuum inſtruxiſti. Ex quo euenit, vt quod hono-

ris literarij præmium confecto cum laude ſtudiorum curriculo viris de literis benè meritis decerni ac tribui ſolet, tibi quoq; meritiſſimo in Vrbe illa orbis Domina decretum tributumq; fuerit. Teſtes verò præterea ſunt tuorum de bonis literis inſignium meritorum felices illi ingenij tui fætus, qui in præſentem diem magno publico bono in manibus hominum verſantur. Teſtis hiſtoria quam de rebus Sereniſſimi Regis noſtri bello paceque geſtis, pari diligentia, iudicio, fide, ſcripſiſti, & illo ipſo die quo legalis ſapientiæ Myſtes inaugurabaris primùm euulgâſti. Teſtes omnium prope gentium legibus fundatæ atque firmatæ practicæ illæ obſeruationes, quibus complures perdifficiles & implicatiſſimas iuris & facti quæſtiones feliciſſime explicaſti. Vt cùm omnes boni multùm de tuâ ad Pontificiam Senatoriamque dignitatem aſſumptione gaudere debeant; tùm verò non minùs dolere quòd tibi arduis & grauiſſimis Reipub. curis impedito, à continuando tàm pulchro, tamque vtili opere ſuperſedere fuerit neceſſe. Quid enim in eo, vt liberè quod ſentio eloquar, ad egregij Scriptoris laudem pertinens non luculenter elucet? quis in eo non videat, non probet, non exoſculetur, ingenium acre, iudicium graue, memoriam fidelem, lectionem variam, aptam rerum & ſententiarum connexionem, clarum, facile, nitidum, à ſuperfluis legum & Doctorum citationibus depuratum dictionis genus, vt mihi quidem cum magnis noſtri ſeculi Iuriſconſultis facile comparari poſſe videaris. Verùm de optimis ſtudijs, in quibus florentis æui annos benè exegiſti, ſatis mihi pro tempore hoc, inſtitutoque meo dixiſſe videor. Patere iam Præſul Illuſtriſſime, quæ tua eſt humanitas, vt quoniam omnia quæ in Repub. tractanda egregiè à te acta ſunt abſque ſatietate & faſtidio aurium tuarum, quæ omnino declinare debeo, commemorare non poſſum, ſaltem nonnulla ad nominis tui decus illuſtriora, quæ me pulchritudine ſua vehementer ad ſe alliciunt, & rapiunt, car-

unt, carptim breuiterque perstringam. Igitur vt primùm in Aula Serenissimi Regis nostri, in illa videlicet amplissimâ omnis virtutis exerendæ, & exercendæ palæstra constitisti, ilicò isthic pretiosas pectoris tui merces, quas tota anteacta vita summo studio tibi conquisiueras, expromere & explicare cæpisti. Quas propter summorum tunc in Repub. Virorum animos & voluntates singulariter tibi deuinxisti. Nam Tarnouius Regni tunc ProCancellarius acerrimi iudicij, maximæque in Repub. auctoritatis Vir, multum tuæ integritati, prudentiæ, eruditioni, ingenio, tribuebat, teq; propterea singulari affectu complectebatur, operâque tuâ, in varijs Reipub. negotijs vtebatur. Ac insuper illo decedens Magistratu, Successori suo Tilicio, te tanquam primæ notæ Virum, rebus agendis peridoneum prolixè commendauit. Qui prudentissimus Senator seculorum memoria dignus, illa ipsa animi tui ornamenta varijs experimentis perspecta & explorata, vehementer probabat, tantique te pendebat, vt non modo dum viueret, industriam & solertiam tuam ad magna Ecclesiæ & Reipub. negotia sæpe adhiberet, sed etiam extremum diem clausurus, tuæ quoque fidei supremæ suæ voluntatis executionem permiserit. Iam Zamoscius omnium gentium literis & linguis prædicandus Heros, plurimum de te sibi persuadebat, Reipub. promittebat, teque ob tuos magnos iam tùm & incitatos ad verum laudem impetus insigni beneuolentia & fauore prosequebatur. Quid Zolkieuius Bellator ille vtinam tàm ad extremum felix, quàm semper fortis & strenuus, nonne te ab ijs quas in te intuebatur dotibus, carissimum semper habebat? nonne tibi abditos consiliorum suorum recessus credebat? nonne ex ijs rebus quas multas & graues apud Serenissimum Regem per te agebat, qui progressu temporis virtutisque tuæ aliquando futurus esses, benè & verè augurabatur? nonne in omnes tui quamprimùm ornandi, & ad summa attollendi occasiones

casiones seriò & diligenter intentus erat? Sed & ipse Rex Serenissimus, rerum æstimator æquissimus, maiores quotidie ad optima & maxima quæq; tuas progressiones cernens, maiora quoque tibi propensæ ac benignæ voluntatis argumenta indies ostendebat, optimasque de te spes concipiebat, cùm in multiplici rerum vsu vera illa & præclara tua bona spectaret, probitatem vitæ ab omni fædi errati labe immunem, candorem morum duplicitatis expertem, solidam magnarum rerum scientiam ambitiosâ ostentatione vacuam, singularem prudentiam in ijs, quæ vera & recta essent perspiciendis, præstantem animi magnitudinem in eisdem tuendis, egregiam industriam in perficiendis. Talibus præsidijs quoniam benè circumquaque munitus eras, frustra te binæ illæ nimium exitiosæ aulæ pestes liuor & ambitio appetiuerunt: frustra virtutis fortunæq; tuæ cursum inhibere ac remorari laborarunt. Tanta enim virtus, etsi oppugnari ac premi ab improbitate potuit, opprimi tamen & obrui nihilomagis potuit quàm Solis istius meridiana lux abscondi. Quin potius impulsa stetit firmius, retardata cucurrit velocius, depressa caput extulit sublimius, obnubilata effulsit illustrius, maligno dente arrosa fragrauit suauius, effloruit venustius, fructificauit vberius. Hac fretus, turpe illud animi de proprijs meritis diffisi vitium, quo in altiorem locum per aliorum incommoda & calamitates nonnulli aliquando irrepere nituntur, vti vita moribusq; tuis indignum, longissimo semper à te propulisti interuallo. Possem hoc loco multa singillatim dicere de multis egregijs rebus, quibus cùm præclarum Secretarij Regij nomen impleres, celsiori in hac Repub. loco parabaris. Quàm enim diligens & strenuus in gerendis quibuscunq; publicis functionibus fidei tuæ commissis fuisti! quàm in cognitionibus iudiciarijs iuris & æqui tenax! quàm ardens in defendendis & vindicandis iuribus & prærogatiuis Ecclesiæ atque Ordinis Ecclesiastici? quàm

quàm integer & inexpugnabilis ab ijs, quæ oculos Sapientum excæcare interdum solent corruptelis, quàm priuatorum commodorum oblitus, ipsius honestatis & honoris amans? quàm acer, & perpetuus, in illâ ætate, quæ à labore ad otium procliuis est, perniciosissimi istius vitij Osor, & hostis, adeò, vt cùm à negotijs Reipub. vacares, ipse tibi honestissima negotia priuatim dares, vacuas à publicis curis horas, in lectione & scriptione domesticâ consumens. Dicerem de præclaris illis actionibus tuis, quibus Sacræ Regiæ Maiestatis Cancellarius, huic quam sustines amplissimæ dignitati pulchrè & dextrè prælusisti. Dicerem de splendidâ legatione, quâ apud Matthiam primum Imperatorem Romanum, & Imperij Comitia in graui Reipub. causâ perfunctus es, & ita perfunctus, vt & negotium tibi delegatum benè & gnauiter gesseris, feliciter & ex animi sententiâ confeceris: & in tuendâ Regis ac Regni dignitate, incredibili animi magnitudine, prudentia, grauitate, constantiâ, propè admirabilem te præbueris. Verùm ego hæc & alia id genus, etsi singula per se sunt magna & illustria, missa facere cogor, dum ad duplex illud virtutis tuæ altius & amplius theatrum, in quo te eximium & planè summum virum ostendisti, ad Episcopatum, inquam, Luceoriensem & Pro-Cancellarij primùm, deinde Cancellarij maximum munus lubens propero. Et sanè haud scio, an verè magna & præclara ex se res sit, in quantumlibet sublime honoris fastigium euasisse. In eo enim id interdum contingit pro miro, quem in rebus humanis, Diuina prouidentia exercet ludo, vt alij quidem mereantur, alij habeant. Sed enimuero, hæc quæ vulgò amplissima inter mortales habentur, virtute sibi peperisse, virtute tenuisse, virtute illustrâsse, id demùm maximi est, & in omni æuo perrari viri. At quis tam incuriosus, vt nesciat magis te ab ijs, ad quos iam peruenisti, magnis honoribus quæsitum esse, quàm eos quæsiuisse? cui malignus affectus vsque adeò

 oculos

oculos occlusit, vt non videat te in hos sublimes, quos attigisti dignitatum gradus, ab ipsâ virtute optimâ duce, atque comite manuductum esse; quis tam refractarius, vt inficietur ita te semper adhuc magni Episcopi, & Senatoris, diuinitus, tibi impositam personam sustinuisse, nihil vt in tam vario & ancipiti Reipub. tempore, quod quidem te, tuoque dignum esset loco, desiderari in te patereris? Denique quis tam præceps, vt de re adeò ambigua certum iudicium ferre audeat, plusne insignes hæ, quas obijsti functiones splendoris tibi attulerint, an à te vicissim acceperint? Non enim postquam Episcopatus Luceoriensis gubernacula prehendisti, proba laudataque retroactæ vitæ studia remisisti, & vt interdum fit, mores cum fortunâ in deterius immutâsti. Quinimò in ea confestim Episcopali fastigio digna opera incumbere cæpisti, quibus ad famam & gloriam antecessorum Tuorum Macieiouij, Szyskouij, Volucij, Firlei, magni in Repub. & Ecclesia meriti, ac nominis, Antistitum, proximus accederes. Quid enim aliud spectabas? quid moliebare? quid contendebas? quàm quod ad omnes boni Pastoris ac Præsulis, partes explendas, quoquo modo pertinere iudicabas. Alienatos olim & distractos deprehendisti, nonnullos Episcopales fundos; eos medio iure in Ecclesiæ illius ditionem asseruisti. Incerti controuersique fines, inter finitimas, & tuæ Ecclesiæ possessiones, iniustos harum delibatores, ad nouas, dum veteres tolerarentur, iniurias inuitabant: tu & veteres legibus patrijs armatus vindicâsti, & nouis aditum præclusisti. Diuini cultus in illa Ecclesiâ minorem quàm sperabas, inuenisti splendorem, ob Sacerdotum, vel in numero, vel in censu penuriam; ei vtriq; manu liberali succurristi. Ecclesiastica disciplina remissior aliquantò erat in Clero, atq; laxior, eam tu quoque excitasti, & adstrinxisti: corruptos deprauatósque populi mores offendisti; ijs euellendis & extirpandis, vt pro hac rerum scena poteras, diligentem operam

 dedisti

dedisti; carebat illa Ecclesia Episcopo titulari; qui pro te & Successoribus tuis, vel absentibus, vel in alias res intentis Episcopalis Ordinis munia obiret, eum instituisti, & virum doctum ac prudentẽ ad hoc munus prouexisti. Vexabantur passiuâ direptione insolentis militis Valachicis successibus inflati Reipub. istius, & Ecclesiæ bona, tu autem super egenos & pauperes Episcopatus tui subditos intelligens, tuaque post ipsorum indemnitatem commoda habens, effecisti, ne flagellum illud inundans cùm alios alibi affligeret super eos veniret. Quid dicam de interiore tuâ in Deum pietate, virtute omnium maximè Principibus viris necessariâ, quâ quem in his rerum humanarum varijs & dubijs fluctibus, cursum tenere debeant, facilè à supremo illo Gubernatore Deo obtinent? Quantas quamq; crebras illius verè Episcopalis virtutis, cùm publicè, tùm priuatim, apud eos, qui te propius nôrunt significationes dedisti. Vt quod Sacrum Sacerdotalium precationum pensum nunquam sedens, neque ambulans, sed in genua prouolutus, cum summâ, ipsius in conspectu Diuinæ Maiestatis submissione, quotidie persoluebas. Quod nullum fere diem præterlabi tibi patiebaris, quin eo Diuinissimam pretij nostri victimam in expiationem tuorum, populique tibi commissi erratorum immolares. Quid de Religionis Catholicæ conseruandæ & propagandæ, ardenti studio, nouarumque de ea opinionum perfecto odio? Fuit ne iam inde ab eo tempore, quo nuperas istas ex Orco emersas pestes, á sanâ illibatæ vetustatis doctrina, diuino collustratus lumine internoscere potuisti, vlla vnquam non dicam necessitas, sed commoda saltem occasio tibi data, ad prodendos cœlestes illos ignes in pectore tuo vehementer æstuantes, quin eorum luculenta ederes specimina? quibus profectò imbecillioris & minus consultæ ætatis tuę lapsum, in quem te pestilens cæli illius, sub quo tunc degebas, aura impulerat, affatim eluisti, abstersisti, aboleuisti. Quid de

effusa

effusâ in Sanctos, & æternâ apud Deum retributione dignos vsus beneficentiâ: quam tanto studio ab oculis hominum submouebas, vt quemadmodum noster iubet Imperator, vix sciret sinistra, quod largiebatur dextera. Taceo cætera tuæ parcens verecundiæ, tuorumque in libro vitę conscriptorum meritorum mercedem intempestiuâ laude euacuare nolens. Sed interruperat nonnihil cæptum, tuam boni & prædicabilis pastoratus tui cursum, Reipub. cura. Dum enim sic vt par est Episcopum agis, & benè gnarus vitium esse in Episcopo, si non sit quàm optimus, omnem adhibes diligentiam, vt tàm sancto muneri & tibi ipsi in eo administrando satis facias, ecce tibi à tota Repub. in Comitijs Regni graue negotium defertur, vt in Moscouiam vnâ cum Serenissimo Principe Vladislao cæterisque tibi adiunctis Collegis, contendas, pacem cum potenti illo hoste armis nostris domito, honestissimis & optimis quo ad eius fieri posset pactionibus componas. Qua in re gerenda dici vix potest, quantâ integritate & fide, solertiâ & industriâ, fortitudine & constantiâ aduigilâsti. Quàm fidus tùm Serenissimo Principi in suggerendis maturis & opportunis consilijs adiutor fuisti, quàm in traducendâ illius voluntate, in ea quæ ex sua & Reipub. dignitate fore censebas felix, quàm communis boni cupidus? quàm priuatim nihil spectans, quàm in præsentiendis & anteuertendis hostilibus consilijs, ac molitionibus acer? quàm in tractandis, & eò quò res postularet flectendis, ferocibus militum animis dexter, quàm in perferendis multis & varijs vitæ Castrensis incommodis infractus? quàm in contemnendis pro salute & dignitate publicâ, proprijs detrimentis & periculis magnanimus? Denique in eo solùm tunc minus felix, quod tanto illo negotio ad optatum exitum, quem iam propè, vt fertur spectabat, haud peruecto, in Patriam tibi properandum fuit. Nam cum illud toto conatu vnà cum cæteris Collegis agis, iamque ex illis fluctibus secundo cursu ad

portum

portū appellere tibi videris, aliorsùm vela felici Fauonio plena dare opus habes. Rex enim te iustissimus meritorum tuorum ponderator, summo & planè diuinitùs inspirato consilio ad amplum & illustre ProCancellarij munus suscipiendum ex vltimo illo Septemtrione euocat. Obsequeris igitur Regiæ aut Diuinæ potiùs, cuius illa interpres fuit, voluntati. Ad Comitia Regni magnis itineribus accurris, ProCancellarius abdicante hunc Magistratum, Henrico Firleio Viro amplissimo, cum magno omnium bonorum applausu, nec impari summarum de te rerum spe & præsagitione renunciaris. Porrò autem eo positus gradu, quem te virum præstas? quid cogitas? quid agis? quid eniteris? Equidem minimè id tibi obtigit, quod Galbæ Imperatori, de quo acutus Augustæ historiæ Scriptor, memoriæ prodidit, maiorem priuato visum cùm priuatus esset, & omnium consensu capacem imperij, nisi imperâsset. At tu cùm priuatus eras, maior priuato visus es, & ad Rempub. gubernandam admotus, ita binos, amplissimos Magistratus administrâsti, vt etiam si eos non administrâsses, tamen omnium bonorum iudicio, eorum administratione dignus fuisses. Et cùm vnum pro eius & tuâ dignitate administrares, alterius simul ac eo vnà cum vitâ pro Patriâ fortiter profusâ Stanislaus Zolkieuius ingentis animi Vir decessit, maximè capax es iudicatus. Enimuerò, in magnorum illorum functione, memori semper animo tenebas duo optima diuini Platonis præcepta, quibus eos, qui Reipub. præfuturi sint præclarè monet. Vnum, vt vtilitatem Ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterùm, vt totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, inquit ille, sic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa gerenda est. His tu salubribus sapientissimi Viri monitis obsecutus, rem perniciosissimam Reipub.

 sediti-

seditionem Ciuium atque discordiam, quæ ex eorum, quibus Reipub. custodia incumbit, maiore ad suam, quàm communem rem attentione, atque ex inæquali erga populum ac Principem studio, oriri solet, velis remisque velut in nauigando aduersam procellam declinabas. Quid? in sententiâ de Repub. dicendâ, quanta tibi erat sine acerbitate libertas, sine fuco prudentia, sine fastu grauitas, sine nimio proprij sensus amore constantia, sine metu inuidiæ fortitudo, sine summo rigore æquitas, sine priuatorum commodorum præpostero aspectu, salutis publicæ caritas. Lætamur Rempub. hanc, non ita pridem à grauissimo supremi exitij periculo, quod ipsi à sæuissimo Turcarum Tyranno, totum virium suarum robur, contra eam commouente, iam iam imminebat, liberatam esse, & sic liberatam, vt tantus ille hostis accisis potentiæ suæ neruis, à finibus Reipub. huius, quam superbâ iam spe deuorauerat, re infecta coactus sit retrocedere. At hoc tuo salutari consilio, dulcis hæc Patria inter primos acceptum refert. Nec id diffiteri potest res suas multò feliciùs in illa pugna successuras fuisse, si tibi bene suadenti, aliquantò maturiùs obtemperatũ fuisset. Benè habet quòd decedentis ex illâ acie militis nostri, sub obtentu insoluti stipendij, in perniciẽ Reipub. coorta cõspiratio, adolescere non est permissa: quin etiam in ipsis, vt sic dicam, incunabulis oppressa & extincta. At cui ignotum est, cuius id potissimum vigilantiâ, atque studio perfectum sit? Cæterùm de flagranti zelo tuo in tuendis & asserendis iuribus ac immunitatibus personarum, locorum, rerum deniq; omnium Ecclesiasticarum, non est quod plura iam dicam. Non enim in Cancellariatu primùm sanctus ille, & Deo benè placitus affectus exarsit & apparuit. At aliquantò antea in iudicijs Regalibus conceptus, a nutritus est: in Synodicis deliberationibus, in Regni Tribunalibus, in publicis omnium ordinum conuentibus, auctus & corroboratus, in eo ad extremum quem

tenes dignitatis gradu, magis quàm dici potest, adoleuit & maturuit. Quanti enim animi, quamque ad iura, & res Ecclesiæ propugnandas accensi argumentum illud erat? quòd cùm in augusto Regis & Senatus consessu, causa quædam Ecclesiæ tuæ indiligenter & minùs rectè à Patrono suo defenderetur; tu ipse Senatorio tuo loco surgens, Patrocinium eius suscepisti, sicq; cum admiratione omnium egisti, vt tandem bona illa causa triumpharet. Iam verò cùm iudicijs Regijs præsideres, quàm vehementer & arctè iustitiæ, & honestati adhærescebas? quàm te bonis amabilem, improbis formidabilem, vtrisq; admirabilem præbebas? Nihil enim loci in illo sanctissimo Tribunali cupiditati, nihil formidini, nihil gratiæ, nihil odio dabas. Sed illæsus ac purus à quatuor illis perniciosissimis sani & recti iudicij pestibus, ipsam puram ac meram veritatem, atque iustitiam intuebaris, totoq; impetu consectabaris. Neq; verò in iuris & æqui disquisitione, ex alienis totus pendebas opinionibus, aut aliorum consilijs auferebaris, verùm causarum omniũ ipse accuratus disceptator & arbiter eras, ipse pro tuâ eximiâ sapientiâ, tuoque acri & perspicaci iudicio, ius suum cuiq; tribuebas. Quid quòd causas omnes ac lites, in illo Regio subsellio, à multo tempore pendentes, ac in eis plerasq; adeò intricatas, atque perplexas, vt ob summam earum expediendarum difficultatem, diu iniudicatæ relictæ fuerint, in ipso statim Cancellariatus tui exordio, pari prudentiâ ac æquitate sopiuisti? Iam quia in illâ Reipub. speculâ, custodem, conseruatoremque Patriarum legum, positum esse memineras, ad te id quoq; inprimis spectare putabas, omni vt ope prouideres, ne quid quisquam te conniuente, aut inscio contra ius & fas quouis quæsito colore, apud Principem obtineret. Quamobrem ipse per te Priuilegia, & quæcunq; alia Principis rescripta diligenter recognoscebas, omniaque ad normam iuris & iustitiæ exigebas, sic quantùm in te erat cauens,

 ne quid

nē quid ab hac optimâ amussi dissidens in illis obreperet. Proditum est litterarum monumentis de Pio V. Pont. Max: nihil ab eo precibus contendi oportuisse, quòd preces apud eum, neque ad iusta impetranda necessariæ essent, neque ad iniusta extorquenda efficaces, idem profectò de te meritò dici potuit. Ac si quidam ex veteribus Romanis, felix eo nomine habitus est, quòd nemo ab illo rem vllam improbam petere auderet, quid de te sentire dicereque par est? quem omnes, qui quidpiam petituri erant, in quo vel minima iniquitatis, aut turpitudinis vmbra appareret, tanquàm fatalem desideriorum suorum scopulum refugiebant. Neque tamen leniores illas virtutes, quibus suauissimè vita humana conditur, quæq; raro nexu cum seuerioribus actionibus copulantur, affabilitatem, facilitatem, comitatem, quoties earum vsus accidebat; accidebat autem ferè semper, quisquam in te desiderare potuit. Tametsi enim ingenium graue ac serium, à naturâ adeptus es, minimè tamen sic acerbum & inamænum, quin te quicquid malus animus obmurmuret, omnium hominum Summorum, mediorum, infimorum, quibus cum aliquid, siue publicis, siue priuatis in rebus agebas, ingenijs ac moribus aptè congruenterque, quantum status tui ratio permittebat, quantumque in tantâ illâ te circumstante negotiorum turbâ poteras, accōmodares. Nam vt vnus omnibus semper ad gustum esses, id verò optandum tibi magis erat, quàm expectandum: quod nedum tibi, sed & nemini vnquam, quàmlibet in pertractandâ Repub. felicissimo vsu venisse, omnis memoriæ exempla testantur. Quòd si primos animi motus feruidiores interdùm, quàm purgato tranquillatoque ab eis animo velles, prætulisse cuiquam visus es, is id corporis tui temperationi, non prauæ assuetudini tribuere debet. Etenim subitos illos animi perturbati æstus, & dum feruerent, rationis imperio temperabas, & postquam deferbuissent, eadem in consilium aduocata, rigidus

in te

in te ipsum censor damnabas. Cùm illa videlicet optima vitæ Magistrâ, identidem tibi inculcaret, nihil esse laudabilius, nihil forti & magnanimo Viro dignius, placabilitate atque clementiâ, nihil turpius, nihil à magno & excelso animo alienius, immoderatâ ira, eam etsi vtiliter à naturâ hominibus data sit, veluti cos quædam virtutis, tamen cùm mediocritatem illam, quæ est inter minimum & nimium, prætergressa, mentem de gradu deijcit, in vile nimis vitium breui amentiæ simillimum degenerare. Porrò vt omni animi perturbatione omninò vacares, ac licèt homo natus sis, humanum nihil vnquam patereris, id profectò, vt supra hominem est, ita nullo modo à te requiri debuit. Quàm enim difficile est, Deus bone, homini hominem exuere! quantæ molis, nullâ vnquam re, quàmlibet acerba & inuisa commoueri? De abstinentia autem ac moderatione tuâ, quâ in parandis fluxis ac caducis fortunæ rebus vtebare, deque fidelitate & prudentiâ quâ in eisdem benè & personâ tuâ dignè vtendis disponendisque pollebas, quid potissimum commemorem? Certè id penitùs pectori tuo insedisse videbatur, quod vetus habet prouerbium, à Seuero & Antonino Augustis vsurpatum: οὔτε πάντα οὔτε πάντως οὔτε παρὰ πάντων. Nosti quid dicam. Nec id tibi euenit, quod in præruptis & in accessis montium iugis extantibus ficubus, quarum fructu non homines, sed corui tantùm & cornices pasci solent. Haudquaquàm pulcherrimam illam virtutem quâ homines, ad Deum proximè accedunt, quaque non modò hominum, verùm & belluarum teterrimarum amores, & obsequia mirificè conciliantur, tàm effusè & immoderatè colebas, quin pro tuâ prudentiâ prospiceres, ne liberalitas liberalitate periret, seraque eam sequeretur in fundo parsimonia. An verò cum tàm præclarè Cancellarium Regni ageres, Ecclesiæ tuæ Luceoriensis obliuio tibi subrepserat, & aliæ ex alijs succrescentes Reipub. curæ incuriosum te Pastoralis officij reddiderant?

rant? Minimè omnium. cùm enim id tibi minùs liceret, vt ipse per te continenter in custodiâ gregis tui excubares, probos & industrios adiutores adhibebas, quorum gnauâ fidâq; operâ, sub graui Episcopali onere alleuareris. Attamen quia probè nôras, nihil adeò Christi ouibus ad spiritalem earum saginam prodesse, ac proprij Pastoris oculum, nihiloque magis agrum Dominicum fæcundari, quàm crebris proprij agricolæ vestigijs, quotiescunq; tibi à grauibus Reipub. negotijs aliquid excepti ac subsecíui dabatur temporis, toto eo præsentem te gregi tuo dabas, omnesque tùm Pastoricij muneris functiones, ipse per te obibas, tantâ alacritate atque lubentiâ, vt pro Christi gloriâ, & animarum, eius sanguine redemptarum salute, exantlatis laboribus, non fatigari & frangi, sed refici ac recreari videreris. Atque cum non ita pridem ad Ecclesiam illam veniens, extremum ei vale diceres, incredibile dictu est, quantum tunc in omnium bonorum pectoribus desiderium tui excitâsti? cuius satis clarum & amplum testimonium dederunt, quando te ex Episcopatu illo decedentem, lachrymis gemitibusque suis sunt prosecuti. Talem te ac tantum, Antistitem tàm probè integreque hactenus Pontificio ac Senatorio munere perfunctum, cùm hodie primùm ad Ecclesiæ istius clauum sedere cernimus, nisi eam quæ in animis nostris exundat, ac omni ex parte foras erumpere conatur, lætitiam, omnibus quibus possumus indicijs proderemus, aut duri nimium, ac tetrici, aut quod longè deterrimum est, tanti in te nobis delati Diuini muneris videri possemus ingrati. Sed absit vt tantam ornatissimo Ordini nostro maculam adspergi, & inhærere patiamur. Agnoscimus, agnoscimus meritò & libenter, singularem Seruatoris nostri Dei, erga hanc Diœcesim beneuolentiam, agnoscimus Sanctissimæ suæ Genitricis Dominæ & Patronæ nostræ, eximiam de eâ curam, quòd tu potissimùm tali tempore super hanc Domini familiam, fidelis & prudens

 dens

dens Oeconomus ac minister sis constitutus. Enimuerò ex retroactis rebus tuis facile coniicimus, sic te tunc Illustrem Pontificalem thronum occupaturum, vt omnes omnium, qui eum ante te insederunt, optimorum & laudatissimorum Antistitum laudes vel exuperes, vel exæques. Contendes, adnitêre, elaborabis, vt quæ singula optimo Præsule digna decora & ornamenta, in singulis illis admiramur, ea in te vno conspiciamus vniuersa, sicque lenius in posterum feramus ingens desiderium magnorum illorum nominum, quorum in hac Ecclesiâ iugem cum benedictione memoriam nulla vnquam oblitterabit vetustas. Insuper in hoc omnes industriæ tuæ neruos intendes, vt te ipso melior & maior quotidie fias, ea quæ retrò sunt oblitus, ad ea verò, quæ ante te posita, pro Dei gloriâ, pro Ecclesiæ & Reipub. dignitate, gerenda tibi restãt, totus intentus. Solebant olim comædiarum Actores, in extremo actu optimos sese præstare, sic tu in hac propè postremâ vitæ tuæ scena, non solùm recto, quod hactenus fecisti, stabis talo, sed etiam hoc ages, vt plausum, & nunquam intermorituram nominis gloriam, ob benè abs te peractam rerum humanarum fabulam consequaris. Atque id, quod nos de te nobis ominamur, Ecclesia hæc Sponsa tua, diuinitùs tibi data, si in hoc primo, quo te excipit complexu, viuâ voce loqui posset, vehementer etiam atque etiam abs te peteret. Sic enim illam tibi dicentem audiremus. Ego te Andrea Præsul Illustrissime hodie in Sponsum, Patronum, Pastorem ac Patrem meum accipio, ego me, omniaque mea, in tuam potestatem trado, ego tuæ fidei, iura, libertatesque meas, bona & fortunas cõmitto; ego tibi fasces amplissimæ huius Diœcesis læta ac lubens defero, ego in tuum gremium non solùm hos quos vides Alumnos meos charissimos, verumetiàm tot animarum miriadas, quas toto meo amplexu contineo, depono, tua sum diuinitùs tibi adiuncta, tua esse deinceps, dùm id Superis placitum erit,

volo.

volo. A te vicissim id vnicè pro iure coniunctionis nostræ, quam hodie, vtinam feliciter, inimus, oro & postulo, vt me tanquàm rem tuæ tutelæ commissam, de cuius procuratione coram tremendo æterni iudicis Tribunali, rationem es redditurus, tractes, tuearis, conserues. Agedum igitur, attolle animum, & ad ea quæ te digna sunt aggredienda, ac perficienda, Diuinæ opis spe fretus manum admoue. Qualem me accipias vide, qualem tenere velis cogita, qualem relinquere, prouide. Collata sum in sinum tuum à Rege meo, à Pontifice Summo, à Deo Opt: Max: sed nempè in sinum vt sustenter & fouear. O te verè magnum, vereque beatum Antistitem, si in hoc eminenti fastigio, non magnus magis, quàm bonus audire desiderabis, & duas res disiunctissimas, potentiam cum modestiâ miscebis, quoque plus propter auctoritatem potes, eò minùs, quantùm possis, propter benignitatem ostendes, si quod confido Summi Dei gloriâ, Catholicæ Religionis incremento, Diuini cultus splendore, Cleri & populi mei disciplinâ iurium, immunitatum, ac rerum mearum omnium integritate, & quod caput est animarum tuæ fidei creditarum lucro, nihil prius & antiquius habebis, si in earum, quas dixi, rerum curâ ac prouisione, nullis laboribus, nullis sumptibus parces, nec solùm substantiam hanc huius seculi, sed etiam vitam ipsam atq; animam, si id vsus postulauerit, ipsis posteriorem duces. Æquum enim est, vt nihil meâ causâ detractes, cui secundùm Deum omnia debebis. Cæterùm quæ ab alijs tuæ potestati obnoxijs exiges, ea ipse in te inprimis ostendes, exasperat quippe animos imperata correctio, blandissimè iubetur exemplo. Et vt herbæ quædam ad solis motum vertuntur, sic homines in vestros Summatum mores inprimis oculos flectunt, & exempla sibi inde suis moribus sumunt. Ac multò faciliùs est, quod Rex ille ait, errare naturam, quàm dissimilem sui Princeps possit Rempub. formare. Denique perturpe est, non inueniri in

capite,quod desideretur in membris. Porrò autem lenitate potiùs atque clementiâ, quàm asperitate & rigore, facilè ac suauiter pleraque perficies. Infirma enim officij vincula sunt terror & pæna, longeque valentior ad iubendum & patrandum quicquid velis, amor. Quippe generosus hominis animus naturâ contumax est, & in contrarium atque arduum nitens, duciturque faciliùs quàm trahitur: ac vt benè nati equi meliùs facili freno reguntur, ita clementiam, voluntaria innocentia impetu suo sequitur. Quare perpulchrum tibi duces multarum rerum veniam dare, nullius petere, prudentique moderatione, quæ corrupta & vitiata deprehendes, sanabis potiùs mollioribus fomentis, quàm recides, & pleraque dissimulans, nec in omnia anxiè inquirens, magis eliges videri inuenisse bonos, quàm fecisse. Turpis enim illa, & eo quem tenes loco indigna vox: Oderint dùm metuant. At hæc pulcherrima quã tu factis quotidie promes. Ne metuant dum diligant. Non enim est profectò maiestas timeri, sed immanitas. Nec minùs indecora sunt Principi multa supplicia, quàm medico multa funera. Atque etiam nescio, quo obnitendi vitio videmus ea sæpiùs committi, quæ sæpiùs vetantur & plectuntur: ac vt arbores quædam recisæ pullulant, ita nimia & assidua regiminis seueritas, vitiorum numerum auget tollendo, Nimiam consultò dixi & assiduam, temperatum enim & opportunum disciplinæ acrioris rigorem, peruicaci malitiæ aut sanandæ, aut ne reliquo corpori noceat, resecandæ vtiliter adhiberi, certum est. Vnde exemplo, mitis & humilis corde Domini, qui zelo gloriæ paternæ inflammatus, templi sui violatores, facto ex funiculis quasi flagello castigauit, non omittes interdum cum id vsus poposcerit, vti contra peccantes pio rigore & zelo misericorditer sæuiente, & ad instar Euangelici Samaritani vino oleum affundens, dura animarum vulnera curabis, promesq; è sacro pectoris tui penetrali, velut ex arcâ tabernaculi, non

ſolùm manna dulcedinis, ſed etiam virgam diſtrictionis. Habes, atque vtinam non haberes, in hoc ouili tot morboſas & peſtilentes oues, aut potiùs ſub vellere ouillo tot aſtutas vulpeculas, ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes, quæ inſtar Samſonicarum capitibus inter ſe diuiſę caudis colligatæ, vineam Domini Sabbaoth diuerſis dolis demoliuntur. Habes eheu tot inexplebiles lupos pecorinâ pelle contectos, qui alimenta miniſtrorum Chriſti per ſummum nefas deuorant, idque pro ludo & ioco habent, ſi cùm graui ipſorum iniuriâ, de rebus Deo dicatis, de Chriſti patrimonio, de pretijs peccatorum ſaginentur. Habes rabidos canes, non inſidias luporum ab ouili arcentes, ſed in proprios Paſtores, proh dolor, crudeliter & impiè inſilientes. His te virum oſtendes, zelo Dei plenum, perfecto aduerſus eius oſores odio flagrantem, ac cum Regio vate ſuper eos tabeſcentem. Dominus tecum, Vir fortiſſime, viriliter age, & confortetur cor tuum, qui tibi ſuper humeros grandem impoſuit ſarcinam, ipſe te forti brachio ſub eâ leuabit, & vbi neceſſe erit, ad adiuuandum te, feſtinabit. Caſtra metabitur Angelus eius in gyro tuo, qui te ſcuto inuictæ protectionis circumdabit, vires aduerſariorum franget, conſilia diſſipabit, dabit faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, facietque te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, quos inter, niſi Dominus exercituum reliquiſſet ſemen pauculorum, ſibi charorum, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Sed iam ne plura addam, iuſti doloris magnitudo vocem mihi intercludit, lingua hæret, animus obſtupeſcit. A te Præſul Illuſtriſſime omne meum expecto ſolatium, tu me afflictam eriges, tu lachrymas meas abſterges, tu luctum meum in gaudium commutabis, tu mihi poſt tenebras lucem,

poſt tem-

poſt tempeſtates malaciam adduces, tu me poſt tot iactationes in ſecuro portu collocabis, deniq; tecum, vt vno dicam verbo, omnia mihi venient bona. Finem dicendi facio, ſi modò id vnum à te, quod orandum reſtat, exorauero. Quid autem? vt hanc tibi circumfuſam Sacerdotum genere, & virtute nobilium cateruam, hanc potiſſimam familiæ meæ portionem, hunc lectiſſimum Sacrati Ordinis florem, hunc Senatum tuum, hos Paſtoralis tuæ curæ adiutores & cóòperarios, hæc membra tua tibi tanquam capiti coniuncta & vnita, hæc dulcia pignora mea, eo quo par eſt loco, ſemper habeas. Propenſa ipſorum in te ſtudia non deſpicias, ſed magis quotidie promereare, fida & recta conſilia, minimè propterea, quia es ſupra iuſſa aſpernére, ſed cùm magna negotia magnis adiutoribus egere ſcias, libenter admittas & ſequare. Nam vt illud in ſublimi dignitate pulcherrimum eſt non cogi, ita hoc miſerrimum non ſuaderi. Et licet tua vnius mens tantæ ac maioris etiam molis capax ſit, ipſeq; tibi abunde ſufficias conſulere, quod in rem ſit, tamen vt vulgò dicitur, plures oculi plus vident. Deniqúe ſic eos humanitate officijs, beneuolentia, tibi adſtringes liberalitate, beneficentiâ, amore deuincies, vt te veluti beneficum & ſalutare Sydus publico bono exortum certatìm ſuſpiciant, inter amorem metumqúe medij & alternis iudicijs ambigentes, Prælatum appellent an Patrem? Neque permittes quæ tua eſt animi altitudo, tuum cum eis Sacroſanctæ neceſſitudinis vinculum, vllis delatorum & adulatorum per ipſorum incommodum, gratiam tuam captantium, ſermunculis dirimi & diſſolui, ſed huic hominum generi improbiſſimo, ac infra ipſos etiam inferos, ſi id fieri poſſet, amandando, ſacras tuas aures prorſus claudes & obſtrues. Sic eos omnes ad quoſlibet tuos nutus morigeros, obedienteſqúe habebis, ſic eis tui ſummè obſeruandi atque colendi dulcem quandam neceſſitatem impones, ſic deniqúe omnia tibi ex animi tui ſententiâ perpetuo flu-

tuò fluent. His æquis Sponſæ tuæ precibus, in hoc primo tuo cum eâ congreſſu, meritò & libenter vt opinamur annues, & nos eiuſdem Almæ Matris Filios, qui in ſuum obſequium vitam omnem deuouimus, ac pleriq; eam penè iam in ipſo conſumpſimus, paternâ ſemper charitate complectêris, talemq; te nobis præſtare ſtudebis Antiſtitem, qualem ſi eo quo ſumus loco eſſes, tibi optares. Quò fiet vt noſtrâ erga te incolumem obſeruantia magis magiſq; quotidie inter nos certemus, ſublatum ex oculis, quod vt ſerum ſit maximè cupimus, inuidi quæramus.

D I X I.

Errata ſic corrige.

In A. 2. b. u. 17. interpone, *æſtimandis* ante *æquitas*. in A. 3. a. u. 30. interpone, *ſic*, ante *te*. in B. 2. b. u. 7. lege omnis. in B. 3. a. u. 9. lege *Reginalis* ibid. u. 11. *præluſiſti*. in B. 3. b. u. 13. lege *eo*. in B. 4. a. u. 17. interpone *in* ante *ambulans* ibid. u. 18. interpone *tui* ante *ipſius*. in B. 4 b. u. 30. lege *perfecto*. in C. 1. a. u. 23. interpone *munerum* ante *functione*. in C. 1. 6. u. 20. lege *habet*. ibid. u. 25. lege *juribus*, ibid. u. 30. interpone *&* ante nutritus. in C. 2. a. u. 24. lege *Procancellariatus*. in C. 2 b. u. 15. interpone *jure* ante *potuit*. in C. 3. b u. 14. lege. videreris. in C. 4. a. u. 2. lege *hunc* ibid. u. 31. lege continentur. in D. 1. b. u. 17. interpone *hanc* ante *grandem*. in D. 2. a. u. 12. lege *jura*. in a 2 b v 6 lege paraenesim in a 2 b v 20 lege agit in a 4 a v 16 lege quin in b 4 b v 7 lege tam in c 3 b v 9 lege subsecivi in c 4 a v 1 lege [illegible] lege detrecter